



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa

Et In octo Partes ... distincta ...

De Peccatis Et Gratia

Vindalium, 1646

Sectio II. De reatu, & pœna peccati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38789

D E PECCATIS. CAP. XIII. 169
retractavit, & propter illud damnari:
macula ergo in qua moritur, nihil est
aliud quàm peccatum præteritum adhuc
perseuerans.

SECTION II.

De reatu & pœna peccati.

CONCLUSIO I.

R Eatus pœnæ est effectus peccati. Ita
S. Thomas 1. 2. quæst. 87. art. 1.
quod probat, quia videmus in rebus na-
turalibus, & humanis, quicquid contra
aliquem ordinem insurgit, ab eo ordi-
ne & principe ordinis deprimi; at qui
peccat, agit contra triplicem ordinem,
rationis, legis humanæ, & diuinæ; quare
triplicem pœnam incurrit, vnã quidem
à seipso, quæ est conscientiæ remorsus,
aliã ab homine, tertiam verò à Deo.

Quæret hic aliquis, an peccatum pos-
sit esse pœna peccati. Ad quod S. Thomas
art. 2. responderet cum distinctione. Nam
per se loquendo, peccatum nullo modo
potest esse pœna peccati; quia de ratio-
ne peccati est, vt sit voluntarius, de ra-
tione autem pœnæ, vt sit contra volun-
de Pecc. H

tatem. Per accidens verò potest peccatum esse pœna peccati tripliciter, 1. ex parte causæ, quæ est remotio prohibentis; cum enim ipsa subtractio gratiæ, qua peccatum impediatur, sit quædam pœna, & à Deo, peccatum etiam inde sequens pœna dicitur. 2. ex parte substantiæ actus, quæ afflictionē inducit, siue sit actus interior siue exterior. 3. ex parte effectus, vt scilicet aliquod peccatum dicatur pœna, respectu effectus consequentis.

In hac re puto certum esse, peccatum vt peccatum, non posse esse pœnam peccati præcedentis: nam Deus cum sit Iudex iustus, amat pœnam quam infligit propter peccatum, & per eam vult iniuriam sibi factam vlcisci, hoc enim totum honestum est, cum spectet ad iustitiam vindicatiuam: Deus autem non potest amare peccatum, vt peccatum, est, neque potest velle, vt per illud iniuria sibi illata reparetur; hoc enim aliud nihil esset quàm velle vnâ iniuriam refarcire per aliam, eamque vt plurimum maiorem, quod vt patet, fieri nequit. Impossibile igitur est quod vnus peccatum sit propriè, & per se pœna alterius.

Dices, peccatum formaliter spectatum est malum homini, ergo potest esse pœna illius. Confirmatur, nam calor in-

tensissimus potest esse pœna corporis humani, quia est malus, & disconueniens illi. Respondeo peccatum esse malum culpæ respectu hominis, adeoque non posse per se esse malû pœnæ; cum honestè à Deo amari non possit, neque infligi ad compensandam iniuriam sibi factam, ut dictum est. Vnde aperta est differentia inter peccatum, & calorem intensissimum, qui cum nullam malitiam contineat, iustè in vindictam sceleris, à supremo iudice appeti potest.

Maior dubitatio est, an peccatum materialiter spectatum, possit esse pœna alterius peccari. Respondeo negatiuè, quia cum pœna sit obiectum iustitiæ vindictiue, potest Deus honestè eam velle, & directè intendere; potest etiam si opus sit, peccatorem ad eam compellere. Non tamen potest Deus velle, & directè intendere actum peccati, hominemque ad talem actum impellere: quia sic vellet peccatum, essetque causa illius ut alibi non semel à nobis probatum est.

Quòd si quis obiiciat illud Pauli Roman. i. Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum; Respondet S. Doctor loco citato, hoc verum esse, quatenus deserti homines ab auxilio

diuinæ gratiæ, vincuntur à passionibus, qua ratione ait peccatum semper dici pœnam præcedentis peccati. Quam responsionē à studiosis doctrinæ S. Thomæ obseruari velim, vt intelligant quàm longè à vera illius, imò & Pauli mēte abeāt, qui pronunciare audent, traditionem prædictam, quàm Doctor Angelicus ait semper referendam esse, in meram subtractionem auxiliorum gratiæ, fieri semper per motiones reales, & positiuas quibus aiunt: Deum in pœnam vnus peccati, physicè prædeterminare ad aliud peccatum, quoad entitatem spectatum.

CONCLUSIO II. Aliquod peccatum inducit reatum pœnæ æternæ. Ita S. Doctor art. 3. quod probat, quia cùm peccatum ex hoc inducat reatum pœnæ, quod peruertit aliquem ordinem, tandiu manet reatus pœnæ quandiu peruersitas ordinis remanet. Interdum autem peruertitur ordo irreparabiliter, nimirum si subtrahatur principium ordinis, vt patet exemplo visus, qui si corrumpatur, non potest reparari visio, nisi per virtutem diuinam. Cùm igitur charitas sit principium ordinis, quo voluntas subditur Deo, peccata mortalia sunt irreparabilia, cùm iis charitas tollatur, sicque inducunt reatum pœnæ æternæ. Confir-

DE PECCATIS. CAP. XIII. 173

matur hæc ratio, nam per peccatum mortale amittitur gratia; at sine gratia quid faciet homo, vt iniuriam Deo illatam compenſet?

Nota 1. certum eſſe ex fide, peccato mortali reſpondere duplicem pœnam, alteram damni, quæ conſiſtit in priuatione viſionis Dei; alteram ſenſus, quæ poſita eſt in cruciatibus, ab igne infernali cauſatis.

Nota 2. vtramque illam pœnam eſſe æternam, nam de priori dicitur 1. ad Cor. 6. Iniqui regnum Dei non poſſidebunt; de poſteriori verò Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum: Imò illud, ite, denotat quandam eiectionem æternam à viſione Dei. Vnde damnatur error, tum eorum qui olim dixerunt, pœnas omnium damnatorum aliquando finiendas, tum eorum qui id limitabant, ad pœnas Chriſtianorum. Hæc & ſimilia humanæ rationis figmenta fundamento carent, & veritati in Scriptura reuelatæ, ac in Conciliis definitis apertè repugnant.

Nota 3. pœnas damnatorum æqualem ſemper intenſionem habituras, vt ſatis indicat Scriptura cùm docet, pœnas illas fore æternas, & cùm ignem inferni vocat inextinguibilem. Iſta enim & ſimilia

denotant, pœnas damnatorum statum
quendam immutabilem habituras; ita
scilicet ut nunquam minuendævel au-
gendæ sint. Quod etiam non obscure in-
nuitur verbis illis Eccles. 11. Si ceciderit
lignum ad austrum, aut ad aquilonem,
in quocunque loco ceciderit ibi erit.

Nota 4. pœnam damnatorum etsi æter-
nam, esse proportionatam culpæ, neque
esse maiorem quàm culpa ipsa mereatur;
quod non tantum suaderi potest ratione S.
Thomæ ante allata, quæ ex ipso peccato
fuitur, sed etiã & maximè ex eo, quod
eiusmodi pœna à Deo peccato mortali
est constituta: si enim prudentia, &
probitas humani legislatoris sufficit, ut
dicamus pœnas ab eo sceleribus decre-
tas, iustas esse, & non excedere eorum
demeritum: quantò magis idem iudicium
ferendum est de Deo, qui non modo
iustus est, & sanctus, sed etiam ipsamet
iustitia, & sanctitas.

CONCLUSIO III. Peccato
mortali non debetur pœna infinita secun-
dum quantitatem, seu intensionem gra-
dum. ratio est, quia iustitiæ æqualitas
postulat, ut pœna sit proportionata cul-
pæ; at hæc est simpliciter finita; esto sit in-
finita secundum quid, seu extrinsecè;
quia continet auersionem à Deo, qui est

bonum infinitum, ergo & pœna simpliciter finita esse debet. Minor ostenditur, quia in peccato mortali tria considerari possunt 1. quòd opponatur tali virtuti. 2. quòd priuetur gratia. 3. quòd per illud Deus offendatur. At peccatum mortale nequit esse infinitum, ex vlllo horum capitum, non ex 1. aut 2. quia virtus cui peccatum opponitur, & gratia qua priuat, sunt qualitates finitæ: non etiam ex 3. quia aliàs sequeretur peccata ipsa venialia; cùm iis Deus offendatur, habere malitiam simpliciter infinitam. Item peccata omnia mortalia continere æqualem malitiam, & vnum non esse maius alio: quæ, & similia valdè absurda sunt.

Dices 1. offensa crescit iuxta dignitatem personæ offensæ, ergo si persona est infinite digna, offensa erit simpliciter infinita. Respondeo non sequi, sufficit enim quòd talis offensa, cæteris paribus, sit maior quacunque offensa, contra personam minùs dignam patrata.

Contra illa offensa est simpliciter infinita, quæ infinitas offensas aliàs aliis maiores, grauitate superat. Verùm hoc falsum est, alioqui homo esset simpliciter infinitus; cū possit Deus aliàs, & aliàs

species in infinitum multiplicare; quæ ad perfectionem speciei humanæ nunquam pertingent.

Dices 2. qui peccat mortaliter, Deum inhonorat, & quantum est ex se, eius divinitatem destruit; hoc autem nocumentum est infinitum, ac proinde malitiam, & offensam simpliciter infinitam in peccato arguit. Respondeo mortaliter peccantem, Deo auferre aliquem honorem externum, qui est aliquid finitum; & quia constituit ultimum finem in creatura, censeretur quodammodo destruere Deum, qui essentialiter est ultimus finis omnium; non quòd verum aliquod nocumentum ei inferat, aut inferre possit.

Ex dictis collige, pœnam damnatorum siue damni, siue sensus, de facto esse simpliciter finitam, quoad intensionem. Et de priori patet, quia per illam homo priuatur visione Dei, quæ finita est & limitata. De posteriori verò, quia creatura non est capax cruciatus, aut doloris infinite intensi. Est tamen observandum discrimen inter pœnas illas, quòd pœna damni dicitur secundum quid infinita, ut docet S. Thomas art. 4. quia per illam homo priuatur Deo, qui est bonum infinitum: at verò pœna sensus est finita, etiam obiectivè, quia id, quicquid sit,

quod causat proximè talem pœnam, non potest habere nisi disconuenientiam finitam.

Quæret hic aliquis, an pœna damnatorum sit æqualis. Qua in re tria dicenda sunt 1. pœnam sensus non esse in omnibus damnatis æqualem, siquidem pro mensura peccati, erit & plagarum modus, vt dicitur Deuter. 25. at dici non potest, omnes qui damnantur, habere peccata æqualia. 2. pœnam damni, si consideretur vt est priuatio visionis Dei, esse æqualem in omnibus damnatis; cum omnes tali visione omnino priuati sint. 3. eandem pœnam si consideretur, vt est pœna, esse grauiorem in vno damnato, quàm in alio; licèt enim omnes æqualiter careant visione Dei, vnus tamen magis dolet tali priuatione, quàm alius; quatenus considerat se ob plura, aut grauiora peccata in eam incurrisse, Deumque ex maiori odio, non modo pœnam sensus ei immittere, sed etiam visionem beatificam ei denegare.

CONCLUSIO IV. Infantes qui cum solo peccato originali moriuntur, non puniuntur pœna sensus, puniuntur tamen pœna damni.) Prior pars probatur, quia cum infantes illi propria voluntate non peccauerint, non videtur

consentaneum diuinæ bonitati, vt igne infernali crucientur. Confirmatur, nam cum Christus aliquos in ignem æternum mittat, rationem affert Matth. 25. quia opera misericordiæ non exercuerunt. Unde supponit eos potuisse eiusmodi operibus vacare, quod de infantibus, ante vsum rationis decedentibus, dici non potest.

Posterior pars est certa, sumiturque tum ex verbis illis Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei? tum ex Concilio Tridentino sess. 5. de peccato originali can. 4. vbi damnantur qui dicunt, infantes nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari, ad vitam æternam consequendam: tum quia ex supradictis, peccatum originale est verum peccatum, quo infans est maculatus coram Deo, eique exorsus; consistit etiam in priuatione gratiæ & charitatis habituales, adeoque priuat infantem iure hæreditatis ad vitam æternam. At Deus non confert vitam æternam, nisi iis qui mundati sunt ab omni peccato, qui que sunt filij ipsius adoptiui per gratiam. Quare qui decedunt cum peccato originali, puniuntur pœna damni quæ consistit in priuatione visionis Dei.

DE PECCATIS. CAP. XIII.

Circa hæc dubitari solet, an priuatio visionis Dei sit coniuncta in infantibus, cum tristitia & dolore. Responsio communis est negatiua, siue quia non intelligunt, quantum sit bonum visio beatifica, qua priuati sunt; siue quia cognoscunt se non fuisse proximè ordinatos ad eam consequendam. Vnde non magis affliguntur de illius priuatione, quàm plebeius doleat quòd ad Imperium euectus non sit. Imò aliqui probabiliter existimant, eos habere perfectam cognitionem rerum naturalium, adeòque potiri beatitudine, & delectatione quæ ex tali notitia procedit.

Dices 1. ex Concilio Florent. sess. vltima eos qui cum peccato mortali, actuali, vel originali discedunt ex hac vita, mox in infernum descendere, ibique disparibus pœnis puniri. Respondeo hinc non sequi infantes magna affici tristitia, Quòd Deum non videant: quia sub nomine inferni comprehendi solet etiam limbus, in quo nullus est cruciatus; aut certè dicendum esset, infantes non modo pœna damni, sed etiam pœna sensus affici, quod probabilitate caret. Quod autè dicit Conciliū de disparitate pœnarū, non debet intelligi de infantibus inter se collatis, sed cū iis qui moriuntur

180 TRACT DE PECC. CAP. XIII.

in peccatis actualibus: istis enim pœna
damni, & sensus plectuntur, cum illi so-
lam pœnam damni sustineant.

Dices 2. Augustinum non vno in loco,
nostræ sententiæ satis apertè refragari.
Respondeo 1. Augustinum disputando
contra Pelagianos tam de peccato origi-
nali, quàm de gratia & libero arbitrio,
aliquando modum in verbis excedere ut
à plerisque obseruatum est. 2. August.
nihil affirmasse de pœnis paruulorum, nisi
dubitando, ut patet ex verbis illis
epist. 28. Cum ventum est ad pœnas
paruulorum, magnis angustiis coarctor,
nec inuenio prorsus quid respondeam.
Quare saluo honore ipsi debito, constan-
tem, omnium ferè Theologorum sen-
tentiam tutò sequi possumus.

